



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IV. De Causâ formali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

litate subiecti. Quæstio ergo est in actione eductiua, quæ simul est realiter actio & passio, & in hac dubitabatur, an hi essent duo conceptus saltem ratione nostrâ inter se distincti, integrantes vnâ actionem eductiuam. Hoc ab his negatum est propter exempla illa, *idem est me videre Petrum, & Petrum videri à me*, &c. ego autem apertè ostendo, eos conceptus esse ratione distinctos, propter comparisonem cum diuersis principis, quia actio comparatur cum efficiente, passio cum subiecto: ex quo capite etiam realiter poterant distingui, sicut, licet homo dicat animalitatem & rationalitatem, hæ tamen inter se ratione distinguuntur. ergo, licet actio eductiua sit quasi quoddam totum, in eâ tamen includitur emanatio ab efficiente, & emanatio à materiâ, quæ inter se ratione nostrâ adæquatè distinguuntur: & saltem debebant hi dicere, actionem eductiuam in hoc sensu inadæquatè distinguî ratione nostrâ à passione, tamquam includens ab inclusio, & sicut homo ratione nostrâ distinguitur ab animalitate solâ. Sed rem intellige, quid autem voluerint hi dicere, non multum curo.

SECTIO IV.

De Causâ formali.

CAUSA formalis communiter definitur, *quæ per vnionem sui cum subiecto illi denominationem tribuit*. De hac definitione supra egimus Disputatione 111. de causâ formali, vbi ostendimus, eam non esse propriè causam respectu compositi; imò nec respectu subiecti, quia nihil in illo producit. Dixi, hanc definitionem communiter tradi, quia in re non datur sufficiens.

28 Ostendi enim supra, non esse proprium conceptum formæ, tribuere denominationem, quia eam subiectum tribuit denominationem formæ, vel saltem potuit: vt enim ostendi ex aduersariis, tribui vel non tribui denominationes formæ à materiâ, purè pendet à voluntate hominum; animam autem esse formam, & materiam esse illius subiectum, non pendet à voluntate hominum. Respondeo tamen, licet hoc non sit proprium formæ, esse tamen proprium illius, tribuere denominationem subiecto: per hoc enim verbum differt ab ipso subiecto, quod non tribuit subiecto denominationem, sed formæ. quid autem sit subiectum, dictum est supra, vbi subiectum per se, non in ordine ad formam (ne detur vitiosus circulus) definitum est.

De vnione formæ cum subiecto etiam egimus supra Disputatione 14. quâ ostendimus, eam vnionem distingui à formâ, & in illâ recipi vt in subiecto sustentationis: vnde respectu vnionis eodem modo est subiectum forma, sicut ipsa materia; & respectu vnionis applicanda sunt formæ, quæ Sectione 1. & 2. huius Disputationis de causâ materiali in communi diximus.

SVBSECTIO PRIMA.

Quomodo forma expellat sibi contrariam.

29 VIA forma expellit aliquando per sui introductionem alteram formam, calor v. g. frigus, oportet explicare, quâ ratione contingat

hac expulsio formæ præcedentis ad ingressum nouæ illi contrariæ. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte videtur expulsio formæ præcedentis, esse dispositio ad formam subsequentem, ideoque & prior propter rationem communem omnibus dispositionibus, quæ præcedunt prius naturâ: ex aliâ verò parte expulsio formæ præcedentis videtur esse effectus formæ introductæ, & consequenter videtur posterior illâ.

PRIMA CONCLUSIO. Expulsio formæ præcedentis, & introductio subsequentis, sunt simul tempore. Probatur clarè, quia si prius tempore esset expulsio præcedentis, daretur in aliquo instanti reali subiectum sine vllâ formâ, quod prorsus repugnat: si verò expulsio esset posterior tempore ad introductionem nouæ, ergo in instanti ante illam expulsionem fuere simul in subiecto forma de nouo introducta, & forma antiqua illi contraria, quod naturaliter omnino repugnat. Imò, si pro vno instanti illæ duæ formæ inter se cohererent, non esset cur & non cohererent in sequentibus. Igitur dicendum est, illud instans reale, quo primò incipit esse forma noua, esse etiam illud quo primò incipit etiam non esse antiqua; ergo expulsio antiquæ, & introductio nouæ, sunt simul in eodem instanti realitatis temporis.

SECUNDA CONCLUSIO. Expulsio formæ præcedentis non est prior naturâ, sed posterior, ad introductionem subsequentis. Hac est communior inter recentiores, & facile probatur, quia non ideo introducitur forma noua, quia antiqua expellitur, sed potius contrâ ideo expellitur antiqua, quia introducitur noua; ergo prius naturâ est nouam introduci, quàm antiquam expelli. Sed respondent nonnulli, oppositum opinantes, concedendo in ordine ad præuisionem Dei, & in futuritione prius esse introductionem nouæ expulsionem antiquæ; negant verò in facto esse. Pro quo aduertunt, Deum, qui per cognitionem operatur simul cum omnibus agentibus naturalibus, eo ipso quòd videat introducendam formam nouam præcedenti contrariam, teneri ei formæ locum præparare, expellendo contrariam: vnde, licet prius quasi in intentione sit introductio nouæ, in executione tamen prius est expulsio præcedentis, quàm introductio nouæ: sicut si quis Regis aduentum sperans, domo eiceret habitatores illius, vt hospitium Regi præpararet, tunc in intentione & præuisione prior esset aduentus Regis, in executione autem prior esset expulsio aliorum è domo.

Hæc doctrina omnino displicet, tum quia durum in Theologiâ videtur concedere, Deum eicere prius naturâ gratiam, vt locum faciat peccato, quando aliquis iustus à gratiâ decidit; tum quia in instanti reali prioritas seu posterioritas naturæ solùm est prioritas independentiæ & causalitatis. Certum autem est, causam expulsionis formæ præcedentis esse introductionem nouæ, & non è contrario; ergo prior est naturâ, etiam in executione, introductio nouæ, quàm expulsio antiquæ, quia causa in executione debet esse prior suo effectui; imò solùm requirit prioritatem in executione non autem in intentione.

Urgeo & explico hanc impugnationem: Quia non potest à Deo præuideri existens non solùm de

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO IV. 351

de præfenti, sed nec de futuro aliquis effectus, quin prævideatur existentes seu futura eius causæ physica, & dispositiones, quibus egent causæ ad productionem illius effectus; ergo si expulso formæ præcedentis est dispositio physica ad introductionem nouæ formæ, non potest Deus videre futuram introductionem nouæ formæ, nisi videat futuram expulsionem præcedentis; ergo nouæ formæ introductio, etiam vt futura, nequit esse causâ expulsionis, cum hæc iam videatur etiam futura. Huic rationi posset responderi, à Deo videri non quidem introductam formam, sed agentia naturalia proximè disposita ad introducendum, solumque desiderare, vt cesset forma contraria. Sed contra, quia vt causæ proximè potentes ad operandum producant formam actu in subiecto, non indigent vt prius naturâ expellatur forma contraria præcedens, vt statim ostendam; ergo ex hac parte non expectant voluntatem Dei actu expellentis contrariam. ³³ Contra Secundo: quia causâ expellens formaliter contrariam, non est agens extrinsecum efficiens, sed ipsamet noua forma; ergo hæc debet à Deo prævideri præexistens, antequam decernat destruere actu formam, quia non potest videri existens effectus, antequam causâ videatur existens.

Ad rationem in oppositum, desumptam ex intentione finis & executione, respondeo, posse quidem prius intendi effectum quam causam, v.g. sanitatem prius quam medicinam; verum non posse prævideri existentem prius effectum quam causam. Ratio est, quia aliquid etiam non existens potest amari, vnde & potest amari antequam videatur eius causæ existens, non tamen potest existere sine suis causis, quia est posterior in quo respectu illarum; quod verum est etiam in futuritione. Sicut enim effectus existens est posterior causis existentibus, ita etiam effectus futurus est posterior causis futuris; nam esse futurum, & præfens, est idem esse comparatum ad diuersa tempora: Deus autem non expellit præcedentem formam præcisè quia vult nouam producere, sed quia videt nouam producendam. Ergo prius naturâ non solum in intentione, sed etiam in præfata executione est introductio nouæ, ergo non potest esse ea introductio posterior naturâ ad expulsionem.

Sed obicitur: Expulsio formæ præcedentis prærequiritur ad introductionem nouæ, ergo est dispositio ad illam. Consequentia est bona. Antecedens probatur, quia non minus videtur prærequiri ad introductionem formæ ignis, expulsio formæ ligni, quam calor, vel siccitas, vel aliæ dispositiones ad formam ignis. Pro solutione huius difficultatis aduerto, ad hoc vt forma, v.g. calor, introducatur in passum, non requiri vt prius naturâ expulsum fuerit ab eo passo frigus, sed sufficere, si non reperiatur tunc frigus in ipso passo, quando intrat calor. Ex quo infero, non debere expulsionem formæ præcedentis antecedere introductionem nouæ, sed sufficere si eam concomitetur, id est, si sint simul. Et ratio est, quia si, dum contrarium ingreditur in passum, ibi non reperiatur alterum contrarium, parum interest, quod fuerit ante expulsum, vel quod tunc primo expellatur, quod lumine naturæ notum videtur. In dispositionibus autem aliis positius

longè est diuersa ratio, quia licet ignis spectat propriâ exigentiâ, videatur contentus, si cum primùm ingreditur, intueniat ibi suas dispositiones, & ex hac parte non sit necessum vt illæ antecedant; verum quia ignis inducitur ad illarum exigentiâ, oportet ipsas tamquam causas petentes ignem, & determinantes materiam, prius naturâ præcedere. At, vt supra dixi, non introducitur forma, quia expellitur antiqua, sed potius è contrario, vnde neque ex hoc capite requiritur vt expulsio sit prius naturâ.

Deinde addo vltimè, nec requiri vt ipsa expulsio sit simul naturâ cum introductione nouæ formæ, sed sufficere, & debere esse posteriorem naturâ; causatur enim expulsio ab introductione nouæ formæ, & non contra, vt dixi.

Vrgebis: Expulsio formæ præcedentis est posterior ad introductionem nouæ, ergo prius est in illo subiecto forma noua quam expellatur antiqua; ergo simul saltem naturâ sunt & noua & antiqua, quod omnino repugnat, propter earum contrarietatem. Sequela verò probatur, quia, quamdiu forma præcedens non est destructa, adhuc manet. Sed pro illo priori nondum est corrupta, ergo manet adhuc; sed tunc etiam est forma noua, ergo simul natura vtraque est. Respondeo, etiam si formæ antiquæ expulsio sit posterior ad introductionem nouæ, adhuc non sequi, simul naturâ coincidere vtramque formam. Ratio est, quia, cum hæc prioritas naturæ solum sit prioritas causæ, seu dependentiæ, & forma præcedens eiusque expulsio non sit vllò modo causâ introductionis nouæ formæ, inde fit, vt in priori naturæ, quo noua introducitur, non concipiatur neque expulsio antiquæ, neque ipsa antiqua; quare nego, nouam & antiquam esse simul naturâ.

Sed vrgebis rursus: Forma antiqua non concipitur in illo priori, ergo in illo priori iam non est, ergo pro illo priori & non pro posteriori est expulsio antiquæ. Respondeo, negando sequelam: quia pro illo priori neque est forma antiqua, neque eius carentia, quia neutrum est causâ expulsionis, vnde ab utroque præscinditur pro illo priori; sicut in priori quo concipitur voluntas potens amare, vel odio habere, non intelligitur amor aut carentia amoris, neque odium aut eius carentia, sed præscinditur ab utroque, quia neutrum est causâ amoris aut odij; illud autem signum solum est signum causæ, ergo ex eo quod in illo priori non intelligatur expulsio formæ, non sequitur, debere intelligi ipsam formam existentem, ergo non sequitur, simul coincidere vtramque formam nouam & antiquam, vt contendebat obiectio. Quod autem dicebatur, semper durare formam antiquam, quamdiu non destruitur, verum est in duratione reali, non tamen de prioritate naturæ, in qua solum considerantur ea quæ se habent vt causa: cumque nec forma antiqua, nec eius expulsio sit causâ vt noua adueniat, inde fit, vt neutrum tunc concipiatur, neque pro illo priori existat.

Aduerte, totam hanc doctrinam solum intelligendam inter formas reales oppositas inter se contrariè: nam si loquamur de formis oppositis priuatiue v.g. de luce & tenebris, dicendum est, non esse prius naturâ introductionem lucis expulsionem tenebrarum, aut è contrario. Et ratio est aperta: quia cum tenebræ nihil aliud sint quam

39 carentia lucis, carentia autem alicuius rei formalissimè tollatur per positionem ipsius rei, nec potest intelligi ipsa res existens, quin etiam intelligatur non esse carentiam illius: sicut neque è contrario nequit intelligi carentia illius, quin intelligatur ipsa expulsa. inde fit, non posse intelligi existentem lucem, nisi intelligantur etiam expulsa tenebræ, quæ sunt carentia lucis. Et ratio à priori est, quia idem est lux & carentia tenebrarum, & è contrario idem est carentia lucis & tenebræ; quare lux non est propriè causa carentiæ tenebrarum, neque tenebræ sunt causa carentiæ lucis, sicut homo non est causa animalis rationalis, nec è contrario animal rationale causa hominis.

SUBSECTIO SECUNDA.

*Quid de expulsiōe forme substantialis,
& duæ aliæ difficultates.*

Est tamen hic non exigua difficultas; an idem dicendum in formis substantialibus: Conclusio enim, & ratio præcedens, solùm videntur habere locum in formis contrariis, quarum una expellitur immediatè ad ingressum alterius. At forma ligni v. g. non expellitur quia introducit forma ignis, sed quia deficiunt dispositiones pro ligno: prius autem corrumpuntur dispositiones ligni, quàm introducat forma ignis, ergo prius corrumpitur forma ligni quàm introducat ignis.

40 Propter hoc argumentū sentiunt quidam moderni, in formis substantialibus priorem esse corruptione antiquæ generatione nouæ. Arbitror tamen, hæc non dici consequenter; ego enim retorqueo argumentum contra illos. Dispositiones ad formam ignis sunt prius naturā, quàm corruptio dispositionum ligni, ut ipsi fatentur, & ex dictis in præcedenti Subsectione constat manifestè, quia illæ dispositiones sunt inter se immediatè contrariæ; inter contraria autem prius est naturā generatio nouæ, quàm corruptio antiquæ. Tunc ulterius: ergo & generatio formæ ignis est prior naturā quàm corruptio formæ ligni. Probo euidenter consequentiam; quia ad introductionem caloris ut octo v. g. immediatè sequitur forma ignis in secundo signo: at corruptio formæ ligni sequitur in tertio signo, ergo tardius quàm productio.

41 Probo Minorem: nam post calorem ut octo, primò sequitur expulsio frigoris requisiti pro ligno, & post expulsionem frigoris sequitur in tertio signo expulsio ligni, ergo posterius ad productionem formæ ignis. Fateor tamen, lignum etiam expellendum, licet forma ignis non produceretur, dummodò producerentur dispositiones ad eam formam ignis: & ex hac parte posse dici, formam ignis non esse causam expulsionis formæ ligni, nec prius naturā; sed tamen non propterea deberet dici generatio ignis posterior naturā, sed concomitanter solùm. Potest tamen adhuc dici prius esse generationem, propter rationem à nobis datam, quia generatio immediatè sequitur ad dispositiones, corruptio autem sequitur mediātè, licet in alio ordine, habentque se quasi patruus & nepos respectu v. g. Petri, qui est parens vnius, & alterius auus, sed in diuersa linea.

TERTIA CONCLUSIO. Forma opposita expellens aliam è passio, non est causa efficiens illius expulsionis. Et probatur: quia dupliciter potest aliquid dici causa efficiens expulsionis: vel quia ab ipso conseruabatur efficienter, re destructa, & per cessationem influxus in illam eam corrumpit, quomodo Deus est causa efficiens destructionis omnium rerum. In hoc sensu certum est, formam introductam non esse causam efficientem expulsionis antiquæ, quia forma antiqua non conseruabatur efficienter à formā nouā illi contrariā, & nondum existentī. Alio modo potest aliquid esse causa efficiens destructionis, quatenus scilicet producit efficienter aliquid impossibile cum formā expulsā: quā ratione ignis produciens calorem expulsionis efficienter in meā manu, est causa efficiens expulsionis frigoris impossibilem cum calore ab igne producto. Hoc autem modo etiam forma noua non potest esse causa efficiens expulsionis antiquæ: nam forma noua ipsa per se, & non ratione alicuius effectus ab ipsa producti, est impossibilem cum præcedenti, ideoque eam solùm expellit formaliter, quatenus, dum ipsa ponitur in subiecto propter contrarietatem cum præcedenti, cogit causam efficientem cessare à conseruatione præcedentis.

Obiicies: Eodem modo una forma expellit aliam è subiecto, quo vnum corpus expellit aliud è loco; sed hæc expulsio est efficienter, ergo & illa. Respondeo, etiam in ipsis corporibus quoad locum, eodem modo discurrendum esse. Si enim v. g. lapis mouetur ab alio, & ponitur loco aëris, tunc lapis non efficienter sed formaliter expellit aliud corpus, id est, per vibrationem quam in se habet, non tamen productam à se. Si verò lapis se ipsum moueat, tunc quia efficienter producit suam vibrationem, expellet efficienter inde aliud corpus; vibratio verò propria lapidis expellit formaliter aërem, quia hæc est quæ formaliter repugnat cum vibratione aëris, sicut frigus cum calore. Potest etiam dici, vnum corpus semper, dum se mouet vel mouetur, producere impulsū in aliud corpus, qui impulsus est causa ut moueatur corpus expulsum; unde semper expellit efficienter aliud corpus, forma autem non expellit producendo aliquid contrarium præcedenti, sed per se ipsam, quæ est præcedenti contraria.

QUARTA CONCLUSIO. Causalitas, quæ forma expellit sibi contrariam, non est ipsa forma expulsa, nec expellens, quia saltem de potentiā absolutā possunt existere ambæ formæ, quin detur expulsio vnius propter aliam; causalitas autem nec de potentiā absolutā potest esse sine effectu. Et hinc etiam colligitur, neque expulsionem præcedentis esse causalitatem nouæ, quia potest de potentiā absolutā expulsio præcedentis fieri ratione alterius formæ diuersæ introductæ in subiectum, vel à solo Deo volente sine introductione alicuius formæ expellere antiquam; ergo sola expulsio antiquæ non est causalitas nouæ, quia (ut dixi) causalitas nec de potentiā absolutā potest esse sine causā à quā oritur: est ergo causalitas expulsionis antiquæ, actus voluntatis diuinæ, quo, attendendo ad contrarietatem nouæ cum præcedenti, & visā existentia nouæ, vult cessare à conseruatione antiquæ. Et hic actus voluntatis nequit esse sine expulsionem, quæ est effectus

fectus illius, & sine introductione formæ nouæ, quæ est causa.

SECTIO V.

De Causâ finali.

SUBSECTIO PRIMA.

Definitio & diuisio Finis.

⁴⁵ FINIS in presenti accipitur, iuxta Aristotelem, pro eo cuius gratia fit aliquid, vel propter quem aliquid fit: sicut sanitas est finis medicinæ, quia medicina propter sanitatem amatur.

Aduerte, voluntatem, quodcumque amat, vel amare propter se, vel propter aliud; id est, vel sistere in illo obiecto, vel illud ordinare ad aliud. Id in quo sistit, dicitur finis; quod verò ordinatur ad aliud, dicitur medium.

Aduerte deinde, posse idem obiectum esse simul & medium & finem, v.g. cum quis amat potum, quia delectabilis, sub quâ ratione est finis; & quia utilis ad sanitatem, sub quâ ratione est medium. Idem potest in aliis obiectis contingere: & ratio est, quia in eodem obiecto possunt coincidere, & bonitas honesta aut delectabilis, quæ constituit finem; & utilis, quæ constituit media.

⁴⁶ Finis diuiditur in finem cui, & in finem qui. Finis cui est persona cui amatur bonum: v.g. amo mihi sanitatem, ego sum finis cui; sanitas verò est finis qui, quia est bonum quod amo mihi. Vbi aduerte, finem qui amari amore concupiscentiæ, quia amatur alteri; finem autem cui amari amore amicitiae, seu benevolentiae. Hic poterat esse dissidium cum Gabriele, vtrum finis qui sit necne propriè finis; negat enim Gabriel, posse dici propriè finem, quia non sistitur in illo, sed in personâ cui amatur: ideo enim amo sanitatem, quia amo me ipsum cui est bona sanitas, ergo vltimò sisto in me ipso, & non in sanitate, ergo sanitas non est propriè finis. Quæstio hæc solum est de voce: certum enim est quod docet Gabriel, sanitatem amari propter personam cui est bona, & in hoc non potest esse dissidium de re; ceterum ad hoc vt dicatur finis qui ex communi acceptione vocis finis, solum requiritur, vt res amata per se ipsam, & non per aliquid à se productum, sit bona personæ cui amatur; & in hoc differt à medijs, quæ non à seipsis, sed ratione alterius rei ab ipsis producta sunt bona personæ amate.

⁴⁷ Finis qui vltimò diuiditur in finem qui strictum, & in finem quo. Finis qui strictus dicitur res illa, quæ amatur alicui, vno autem illius rei cum personâ cui amatur, dicitur finis quo: v.g. beatitudo seu visio Dei, est finis qui omnium nostrum; vno autem huius visionis cum intellectu, est finis quo, quia illa vno est id quo possidetur ipsa visio, quæ est finis qui.

Deinde finis diuiditur in vltimum, & non-vltimum. Finis vltimus est ille in quo sistitur, v.g. sanitas est finis vltimus medicinæ, quia in eo sistit vltimò medicina. Finis non-vltimus propriè sunt media intermedia, v.g. scissio venæ, quæ est medium ad sanitatem, si comparetur cum alijs medijs ad ipsam prærequiritis, v.g. cum inquisitione & vocatione Chirurgi, potest etiam dici finis.

Finis non-vltimus propriè non est finis, vnde à 48 nonnullis nullatenus finis dicitur. Sed quæstio est de solo nomine, & parui momenti.

Rogabis, vtrum in medijs detur aliqua bonitas distincta à bonitate finis, an verò media præcisè dicantur bona per denominationem extrinsecam à finis bonitate. Respondeo, vtilitatem seu conducentiam ad finem esse intrinsecam ipsis medijs, neque illis provenire à fine, sed à propriâ naturâ mediorum: neque enim scissio venæ constituitur utilis ad sanitatem per ipsam sanitatem, sed id habet per se à propriâ naturâ. Ratio à priori est, quia ea utilis est quasi virtus causatiua eius effectus, seu finis: ostendi autem suprâ, in causis virtutem causatiuam non constitui per ipsum effectum formaliter, sed per entitatem causæ, cum respectu tamen seu ordine ad effectum; ergo vtilitas mediorum non provenit ab ipso fine formaliter, sed id habent ex se. Quod autem hæc vtilitas & conducentia, quæ reperitur in medijs, dicatur bona, provenit ex eo quod finis sit bonus: nam conducentia seu vtilitas ad malum finem, non potest dici bona, nisi lato modo. ergo quod vtilitas medijs dicatur bona vel mala, provenit ex eo, quod eius finis sit bonus vel malus. Et in hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt, bonitatem vtilem provenire medijs per extrinsecam denominationem à fine: nam si intelligantur non solum de vtilitate in quantum bona, sed de illâ absolute & simpliciter, omnino falsum est, eam provenire medijs, per extrinsecam denominationem à fine, vt probatum est.

SUBSECTIO SECUNDA.

De ratione formali causatiuâ finis.

⁵⁰ Non disputo, vtrum finis sit verè causa, de hoc enim infra agetur; sed quæ sit ratio, quâ finis in actu primo siue improprie siue proprie causat. Pro quo aduerte, voluntatem non posse ferri in incognitum, de quo in libris de Animâ. Et hinc nascitur ratio dubitandi, vtrum scilicet ipsa cognitio finis sit quæ mouet voluntatem, an verò finis ipse terminans cognitionem.

Quæstio hæc, ni fallor, magnâ ex parte est de solo nomine: nam de re dubitari nequit, cum quis amat sanitatem v.g. non amare cognitionem sanitatis, neque secare venam, aut sumere potionem amaram, propter cognitionem sanitatis, tum quia eam cognitionem iam habet de facto, tum quia ea media non sunt vtilia ad cognitionem sanitatis, tum quia ipsa cognitio sanitatis non proponitur reflexè voluntati, etiam si cognoscat ipsū finem; vnde ex cognitione præcisâ finis, non potest reflexè cognitionem amare; ergo quod amat voluntas, quod illam delectat, quod eam allicit vt quod, non est cognitio finis, sed finis ipse, qui est obiectum cognitionis, siue finis ille sit quid reale, siue quid fictum, apprehensum tantum vt bonum: nam sicut intellectus potest cognoscere ea quæ non sunt, ita & voluntas ea potest amare, & ab illis allici intentionaliter media cognitione, non tamquam re amata aut alliciente, sed tamquam conditione quasi applicante illud obiectum voluntati. Hæc quæ sunt de re omnino videntur certa; de nomine autem potest esse difficultas, vtrum cognitio dicenda sit ratio motiua,